



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. De Variis Irregularitatibus ex delicto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Q U Æ S T I O IX.

De Irregularitatibus in particulari, tum ex delicto, tum ex defectu.

Descendimus ad agendum de Irregularitatibus in particulari; de iis præsertim, quæ magis usui sunt, & plus habent difficultatis. In primo articulo agemus de variis Irregularitatibus ex delicto, puta de Iteratione baptismi; de Violatione Censuræ per exercitium Ordinis Sacri; de Clerico exercente Ordinem Sacrum, quem non habet; de indigna Sacrorum Ordinum susceptione, ac de Hæresi, aliisque criminibus infamiam inducentibus. In secundo agemus speciatim de Homicidio, ac Mutilatione injusta. In tertio agemus de Irregularitate ex defectu lenitatis. In quarto demum de aliis Irregularitatibus ex defectu.

ARTICULUS I.

De variis Irregularitatibus ex delicto.

- I. Irregularitas ex iteratione Baptismi a quibusnam incurratur? Ob iterationem Confirmationis, aut Ordinis irregularitas non incurritur.*
- II. Innotatus censura, quamvis toleratus, irregularitatem incurrit per exercitium Ordinis Sacri. Quinam dicatur Ordines Sacros exercere?*
- III. Clericus etiam ministrans in Ordine Sacro, quem non habet, requiritur autem, & quod exterius talem Ordinem exercent, & quod habeat intentionem illum exercendi.*
- IV. Incurritur etiam irregularitas aliquando per indignam susceptionem Ordinis Sacri, puta si conjugatus Sacris Ordinibus initiatur. Dubitatur autem in multis casibus, num Suspensio dumtaxat, an vero Irregularitas incurratur?*
- V. Pariter incurritur propter enormia crimina, puta propter Hæresim,*

& Apostasiam tam a fide, quam a religione, & propter crimina infamiam inducentia. Hæresis tamen, & Apostasia occulta probabiliter irregularitatem non inducunt.

VI. In Bulla Cœne casus Hæresis occulta reservatur Pontifici quoad absolutionem a culpa, & censura, non vero quoad dispensationem in irregularitate: Et probabiliter etiam per Vicarium Episcopi potest talis dispensatio conferri, non tamen absolutio.

I. Prima irregularitas ex delicto habetur ex iteratione Baptismi. Certum autem est, irregularitatem hanc incurrere tam rebaptizatum, quam scienter rebaptizantem; sicut etiam qui solemniter, seu publice, & ex officio ministrat. Non incurrit tamen irregularitatem, qui sub conditione rebaptizat, etiam si debitam inquisitionem non præmittat; nec qui metu adactus simulat Baptismi collationem; quamvis mortaliter peccet, ut notat Laym. hic.

Adde, quod etiam irregularitatem incurrit, qui citra necessitatem baptizari se sinit ab hæretico, ex cap. *A. fros*

fros dist. 98.; necnon qui differt baptismum usque ad ægritudinem mortalem; & qui adhuc est Neophytus, seu recenter baptizatus; hic enim quamdiu neophytus est, ne ad minores quidem Ordines potest promoveri. Ad Episcopum autem spectat discernere, quamdiu durat status neophyti, considerata qualitate, & doctrina personæ, quamvis univèrsim per decennium durare soleat.

Hujusmodi irregularitates non tolli per susceptionem baptismi, manifestum est, cum imponantur ob ipsam baptismi susceptionem vel dilatam ad ægritudinem, vel recenter factam.

Pro iteratione aliorum Sacramentorum imprimentium characterem, puta Confirmationis, & Ordinis, pariformiter irregularitatem incurri docent nonnulli apud Laym.; Sed communior sententia negat, quia non est id in jure expressum.

II. Secunda irregularitas ex delicto contrahitur per exercitium Ordinis Sacri cum violatione censuræ. Certum quippe est, innodatum excommunicatione majori, vel suspensione, aut interdicto, etiamsi sit occultus, & toleratus, irregularitatem incurrere exercendo solemniter, seu ex officio actus Ordinis majoris; nisi excuset necessitas vitandi scandalum, aut ignorantia, &c., ex cap. *Is qui, de sententia excommunicationis*. Quare primo hanc irregularitatem incurrit, qui canit in choro, tanquam hebdomadarius cum Dominus vobiscum; quia hoc modo ab initiatis solum Ordinibus Sacris canitur. Secundo, Subdiaconus canens Epistolam cum manipulo, & Diaconus canens Euangelium cum stola. Tertio, qui baptizat solemniter, & qui consecrat aquam ad aspergendos fideles; cum isti sint actus Ordinis Sacri; secus vero qui baptizat privatim. Quarto, qui absolvit sacramentaliter, etiamsi absolu-

tio ex indispositione pœnitentis sit invalida. Quinto Sacerdos benedicendo sponfos, faciendo solemnitates baptismi, necnon Sacerdos, vel Diaconus ministrando Eucharistiam; Non vero si Sacerdos assistat matrimonio, quia talis assistentia non est actus Ordinis, immo nec proprie jurisdictionis. Ac demum Episcopus exercendo Ordinem Episcopalem. Qui tamen duplicem censuram specie diversam violat, duplicem irregularitatem incurrit; sicut duplicem excommunicationem, qui excommunicatum vitandum in loco interdicto sepeliret.

In hac irregularitate, sicut & in superiore de iteratione baptismi, solus Pontifex dispensare potest, nisi delictum sit occultum; tunc enim ex privilegio Trident. potest etiam Episcopus.

III. Tertio imponitur in jure irregularitas Clerico ministranti in Ordine Sacro, quem non habet, modo scienter, serio, & ex officio ministrat. Ita habetur cap. 1., & 2. de Clerico non ordinato ministrante. Hinc sequitur, quod nec laicus Ordinem Sacrum exercens, nec Clericus, qui per jocum, & representationem, aut ex ignorantia crassa ministrat, irregularitatem incurrat: Sicut nec Clericus, qui Epistolam sine manipulo, aut Euangelium sine stola canit; cum sic non canat solemniter, seu ex officio, sed tantum dicatur uti officio Cantoris.

Præterea Clericus (non tamen Subdiaconus) irregularitatem non incurrit, si canat Epistolam sine manipulo, etiamsi cum intentione exercendi Ordinem Sacrum, quem non habet; cum non sufficiat sola intentio, nisi etiam exterius exerceatur solemnitas Ordinis Sacri: Nec irregularitatem incurrit, si canat Epistolam cum manipulo sine intentione exercendi Ordinem Sacrum, sed solum ad supple-

dum defectum subdiaconi, ut docet hic Bonac.; quia ad irregularitatem incurrendam utrumque requiritur, & actus externus prohibitus, & intentio exercendi illum sub ea ratione, sub qua est prohibitus.

Sacerdos vero ministrans sine facultate debita Sacramentum Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Unctionis non incurrit irregularitatem; quia non exercet actum Ordinis, quem non habet, sed jurisdictionis: Contra tamen Clericus absolvens sacramentaliter serio, & scienter, quamvis Sacramentum non conficiat, illam incurrit, ut communiter docent cum Bonac., Avil., Filliuc. contra Sylvest.; sicut etiam si referat in choro munus hebdomadarii, aut si benedicat Sponsos, aut si per saltum promotus exerceat Ordinem prætermisum; cum exerceat in his casibus actum Ordinis, quem non habet. Diaconus tamen si solemniter baptizet sine licentia Parochi, vel Episcopi, incurrit irregularitatem, ut notat Avil. ex Henr., Navar.; Si vero de licentia Parochi, vel Episcopi solemniter baptizet, nec peccat, nec est irregularis, quia ad Diaconi munus spectat de licentia Parochi id præstare.

In hac irregularitate solus Pontifex dispensare potest, ut ad superiores Ordines ascendatur: Ut vero in susceptis ministretur, etiam Episcopus, quamvis delictum sit publicum; ut notant hic Bonac., Avil., & alii.

IV. Quarta irregularitas ex delicto incurritur aliquando per indebitam suspensionem Ordinis sacri. Certum quidem est, eam incurri a conjugato recipiente Ordines Sacros: Dubium vero apud Doctores est primo utrum irregularitatem, an suspensionem incurrat, qui ligatus aliqua censura recipit Ordines Sacros; Nam Avil. Henr., & alii apud Bonac. docent, hunc incurere irregularitatem;

Part VIII,

Filliuc. vero, Suar., Con. incurere suspensionem. Secundo idem dubium procedit apud Doctores de eo, qui eodem die recipit minores Ordines cum Subdiaconatu, inscio, & non advertente Episcopo; aut duos Ordines Sacros, aut ultimum minorum Ordinum cum Subdiaconatu. Notat tamen Busemb. ex Navar., Henr., Vasq., Suar., & aliis, quod non solum possit Episcopus dispensare, ut eodem die omnes Ordines minores recipiantur, sed etiam, si consuetudo alicubi sit, simul cum subdiaconatu: Tertio dubium pariter est, suspensionemne, an irregularitatem incurrat, qui recipit Ordines per saltum, & qui ordinatur furtive, hoc est nesciente proprio Episcopo, non approbante, & examinante: Quarto idem etiam dubium recurrit de recipiente Ordines ab Episcopo, qui suæ dignitati, hoc est jurisdictioni, & executioni Ordinis Episcopalis renunciavit. In his omnibus dubiis fatendum potius suspensionem tantum incurri; quia irregularitas non incurritur, nisi sit injure expressa. Semper tamen Episcopus dispensare in iis potest, si delictum sit occultum, ex Trident. non vero si sit publicum.

V. Quinto certum est ex cap. *Saluberrimum quest. 1. cap. 2., de heret. in 6.*, irregulares esse tam hæreticos, quam Apostatas a fide, & eorum fautores, ac defensores.

Unde sequitur primo, non esse irregularem qui exterius hæresim profert, sed interius bene sentit, ut docet Suar. contra Ugolin., quia non est vere hæreticus: Contra vero juxta sententiam probabiliorem apud Bonac. est irregularis Apostata, qui exterius per metum adorat idolum, licet animo non adoret; quia revera peccat contra præceptum fidei negativum; unde vere est Apostata, & consequenter subjacet pœnis hære-

A a ti-

ticorum, ex cap. *Non potest*. 2. quaest. 7.

Secundo sequitur, non esse irregulares ex hoc capite, qui daemone sine haeresi colunt, aut cum eo pactum ineunt; quamvis ex alio capite, videlicet ex suspitione haeresis, ex qua confurgit infamia, fieri possint irregulares, donec purgent suspitionem.

Tertio, nec esse irregulares Schismaticos, quando schisma non est conjunctum cum haeresi, ut communiter docent contra Ugolin.; quia non est expressa in jure talis irregularitas.

Quarto, esse irregularem, qui cogitur in judicio abjurare ab haeresi probata; quia hic censetur vere haereticus.

Adde, non solum Apostatam a fide, sed Apostatam a religione esse irregularem; ut docent Bonac., Ugolin., & alii ex cap. *Fini*, de *Apostatis*; ubi dicitur, Apostata a religione non esse admittendus ad Ordines durante eo statu.

Adde ulterius, esse etiam irregulares filios haereticorum usque ad secundam generationem per lineam paternam, & usque ad primam per maternam, ex cap. *Saturum* 2., de *haereticis*; Quod tamen intelligendum, dummodo parentes mortui sint in delicto haeresis. Si tamen filius natus sit ante lapsum parentis in haeresim, putant probabilius Bonac., Sanch. contra Suar., Filliuc., quod non sit irregularis; tum quia versamur in materia odiosa, quae benigne est interpretanda; tum a pari, quia filii reorum criminis laesa majestatis non subjacent poenis, quibus subjacent nati post delictum; ergo ita in casu nostro.

Dubium est; an Haeresis, & Apostasia occulta irregularitatem inducant?

Affirmant Bonac., Sylvest., Navar.,

Negant tamen Laym., Henr., Avil.; quia non propter haeresim, & apostasiam secundum se, sed quatenus juris infamia annexam habent, videtur irregularitas ista decreta: Praesertim cum dicatur in cap. *Abolendum*: *Quicumque manifeste fuerit in haeresi deprehensus*. Quamnam autem crimina infamiam inducant, dicemus cum de irregularitatibus ex defectu; Etenim tam infamia juris, quam facti, quae irregularitatem inducunt, stare possunt sine patrato delicto.

VI. Rogabis; Quisnam possit in irregularitate ob haeresim contracta dispensare?

Respondeo cum Suar., Sanch., Bonac., probabiliter posse etiam Episcopum, si crimen sit occultum, ex Trident. sess. 24. cap. 6.; quia quamvis in Bulla Coenae reservetur hic casus Pontifici, reservatur tamen quoad absolutionem a culpa, & censura, non quoad dispensationem ab irregularitate: Et idcirco putat Sanch. contra Suar., quod possit Episcopus etiam per Vicarium dispensare; quia in Trident., sola absolutio ab haeresi occulta limitatur, ut Episcopus per seipsum illam concedat.

ARTICULUS II.

De Irregularitate, quae incurritur propter homicidium aut mutilationem injustam.

- I. In quo differat homicidium voluntarium a casuali? Quandonam casuale inducit irregularitatem?
- II. Ut mutilatio injusta irregularitatem pariat, debet esse membri precipui.
- III. Irregularitas incurritur ab omnibus ad homicidium concurrentibus, etiam ab eo, qui ex officio tenetur illud impedire, & non impedit; non tamen a ratihabente.
- IV.